THESES PHILOSOPHICAE,

quas propitio Numine Adoleſcẽtes Philoſophiæ alumni ex Academia Edinb. hac vice cum *Laureâ emittendi pro virili propugnabunt ad* 3. Kal. Aug. in Æde ſacra Regii Collegii.

Praeside Gvlielmo Regio.

Adamus Coltæus.
Adamus Penmannus.
Alexander Cumminius.
Andreas Bruſius.
Arthurus Muirhedius.
David Heriotus.
David Rovæus.
David Vetchius.
Franciſcus Liddellus.
Gavinus Iuſtitius.
Georgius Sydſerfius.
Gulielmus ab Aula.
Gulielmus Hopæus.
Gulielmus Royæus.
Gulielmus Wardlawus.
Iacobus Beuſolæus.
Iacobus Loganus.
Iacobus Somervellus.
Ioannes Bruſius.
Ioannes Campbellus.
Ioannes Sinclarus.
Ludouicus Lauderus.
Nicolaus Whytæus.
Robertus Cuninghamus.
Robertus Smithæus.
Samuell Makgillius.
Thomas Ihonſtonus.

EX BIBL. UNIV. EDINBURGEN.

EDINBURGI,
EXCVDEBAT Andreas Hart, 1616.

Viro eximiæ pietatis, ac prudentiæ,

D. HENRICO WARDLAWO,

MILITI DE PITTRAVIE, &c.

Adoleſcentes Magiſterii candidati S.

NON ignoramus (Domine Ornatiſſime) acria Criticorum ætatis hujus ingenia, & Ariſtarchis ſuis hoc ſæculum abundare, idcirco ne ſine Theſeo (quod aiunt) ex Philoſophiæ palæſtra in aciem Martis Philoſophici prodiremus ad tui unius clientelam, ac patrocinium confugimus: & Theoremata hæc Philoſophica, non tam ſpoliorum quàm campi præliaris, aut μελέτης appellatione donanda ſub nominis tui ſplendore oculorum arbitrio committimus, æqua atque iniqua variorum judicia non iniquo animo præſtolaturi. Ac imprimis nos invitabat ſingularis tua in literatos humanitas, propenſa in Academiam noſtram benevolentia, vitæ morumque integritas, prudentia in negotiis, ac reliqua ingenii animiq; tui decora & ornamenta. Deinde ſingularis in præceptorẽ noſtrum affectus, cui tametſi ex æquo nos reſpondere poſſe diffidimus, in parte tamen gratiarum reponendum eſt non ingratos eſſe conari. Ad hæc rationum momenta acceſſit, quòd filius natu maximus optimæ ſpei adoleſcens per ſanum virtutis honoris ædem hactenus ingreſſus, ejuſdem præceptoris diſcipulus, ejuſdem Academiæ alumnus fuit: tum natu ſecundus, ejuſdem Muſæ amulus, ac in iiſdem caſtris meruit, quare omne hoc bellum militabitur in ſpem gratiæ tuæ. Quibuſnam igitur undis tam barbaram ἀχαριστίας notam abluere poterimus, niſi tot beneficiis & auctoramentis tuis obſtricti, votivâ tabellâ corũ memoriam teſtemur? Ideò jaciendâ potiùs æſtimationis aleam quàm fædam ingratitudinis notam ſubeundam duximus. Quare offerimus tibi hanc paucarum noctium lucubratiunculam, ut devotiſſimæ mentis pignus ac monumentum, quæ non exigui muneris inſtar haberi poteſt, ſi non ſuo pretio, ſed animo (ſiquidem animus plenus eſt gratiarum ſignificatione) affectuque æſtimetur: ac ut ſereno vultu aſpicias oramus, & communem hãc noſtram parentem Academiam & præceptorẽ (quod ſedulò facis) fovere & amplificare pergas. Cui voto, ſi annueris nullæ erunt diſputantiũ tantæ inſidiæ, nulli petitionum cuniculi, nullæ Argumẽtorum tantæ tenebræ, quæ non illicò affulgente nominis tui ceu numinis ſplendore, retegantur, eludantur, evaneſcant: noſtræq; poſitiones tam forti munitæ tutelâ nõ magis quàm Troia Palladio ſoſpite poterunt expugnari. Dii fœlix vive & vale.

THESES LOGICÆ.

THESIS I.

MENS humana execrabili hominis apostasiâ deprauata, tametsi igniculos ac semina quædam diuinitatis, & scintillulas ac strictu-ras primævæ puritatis in se retinuit: clarum nihilominùs & ab ipso lucis fonte petitum jubar (veritatem videlicet) vlteriùs sustinere non potuit; quin & exercitatissima ingenia in rerum causis indagandis miserè cespitant, ac in errorum scopulos nauem impingunt: & infinitæ sunt cum intellectus à vero, tum appetitus à bono deviationes.

APP. 1. *Huic tam periculoso morbo nullũ à mortalibus medicamen excogitari poterat, nisi θεοδοτ & Logica mentem nostram læsam, impetitam, ac densissima ignorantiæ caligine obnubilatam in se recepisset resarciẽdam, quæ cernens rationem de curuli deturbatam, ac falsitatum inquinamẽtis fædissimè deformatam; consopitam rationis fauillam in purissimam flammam excitauit, vt nihil turbidi vel fumosi tantam possit claritatem denitiare.*

2. *Subjectum aut objectum, vt loquuntur, informationis, in quo excolendo Logica versatur, erit ratio, seu intellectus humanus*

ejus functiones & actus, quatenus per præcepta Logicæ perficiuntur & ad rerum cognitionem diriguntur: secundarium verò objectum, oratio, qua veluti interprete vtimur, cujusque ductu in sapientiæ penetralia penetramus.

3. Cum Logica cognitionem mentis alia cognitione quæ reflexa dicitur tanquam Canone & Regula gubernet ac regat, ne in deuios errorum anfractus incidat, nec circa directum mentis conceptum nimirum conceptus rerum, sed conceptuum conceptus seu rationis notiones secundas versetur, iis meritò assentimur qui Logicam, non tam habitum objectiuum, quam directiuum, seu disciplinam directricem nuncupandam censent.

4. Logica est supellex cunctis disciplinis apparata ad vtendum cuique pro suo commodo ac facultate, immò Logica artificialis & perfecta, etsi non sit necessaria ad esse, vt cæteræ disciplinæ comparentur, est tamen necessaria ad benè esse, & summopere vtilis vt faciè & sine errandi periculo addiscantur.

THESIS II.

OMNE vniuersale est respectiuum, & suam ei qualemcunq; essentiam tribuit intellectus, non directo sed reflexo actu, concipiens scilicet naturam quæ est vniuersalis non conceptis singularibus.

APP. 1. *Vniuersale formaliter solùm est objectiue in intellectu, nec aliud habet esse quam cognosci ab intellectu attribuente vniuersalitatem naturæ quam cum indiuiduis comparat.*

2. *Vniuersale formaliter sumptũ nõ est æternũ, vt nec materialiter secundũ actualẽ existẽtiam in inferioribus: sed tantũ secundum essentiã & prædicata essentialia ei debita, etiamsi nullibi sit actu, sed solùm objectiuè in intellectu diuino actu cognoscente, quin & virtualiter est vniuersale in diuina omnipotentia à qua produci potest in suis singularibus.*

3. *Cum vniuersalitas sit relatio rationis naturæ communis ad indiuidua, natura fit actu & formaliter vniuersalis per comparatiuam mentis cognitionem, nec datur aliqua unitas formalis positiua aut negatiua, actualis aut in potentia, nec unitas præcisionis qua*

nis quæ conueniat naturæ realiter, aut essentialiter, vel tanquam propria passio per quam dicatur multis communis ante operationem intellectus.

THESIS III.

IN prædicamentis duo sunt, materiale nempe res prima quæ in prædicamento disponitur, & formale scilicet gradus per quem disponitur.

APP. 1. *Licet hæc in singulis conjungenda sunt, nec à se inuicem separari possunt, gradus tamen προπαιδεια quadam in Porphyrii Commentariolo prænoscuntur.*

2. *Prædicabilia non vendicant sibi peculiarem locum Logicæ in systemate, nec Porphyrii Isagoge distinctum Logicæ membrum constituit, sed Commentarii vice Categoriis præmittitur.*

THESIS IV.

ENs rationis est, quod sola mentis cogitatione ad modũ entis realis fingitur, & extra eam nihil est.

APP. 1. *Cum ens rationis non semper eo modo sit quo esse possit, sed aliquando incipiat esse, idque non à se, sed ab alio, nec temerè, sed boni alicujus gratia, statuendum omninò ens rationis habere causas quarum vi existat.*

2. *Causa efficiens erit intellectus quatenus ad modum entis realis fingit & excogitat aliud ens quod in se realiter non existit: materia sunt simulacra entium realium in intellectu existentia, ex quibus intellectus format entia rationis: forma consistit partim in ipsa fictione, partim in Analogica affectione quam ens rationis habet ad ens reale, finis denique cujus gratia excogitatur est, vt noster intellectus in se debilis & imperfectus juuetur & perficiatur, & vt ens reale adumbret saltem & ob oculos nobis ponat.*

3. *Cùm sit merum figmentum intellectus, siue concipiatur per modum substantiæ siue accidentis realis, hallucinantur admodum qui negant omne ens rationis esse accidens.*

4. *Nec in minori errore versantur qui ens rationis obiectiuè tantùm esse in intellectu, nullibi verò subiectiuè contendunt.*

THESIS V.

QVEMADMODVM differentia ſpecifica pertinet ad conſtitutionem ſpeciei, ita ſpecies contrahitur ad indiuidua per differentiam ſingularem pertinentem ad ſingularis eſſentiam, quam Philoſophi non ignobiles hæccceitatem vocant.

App. 1. *Differentia indiuiduans, etſi quidditas ſeu eſſentia non appelletur, cum non attingatur in definitionibus, nihil tamen impedit, quo minùs ſit pars eſſentialis indiuidui, vt differentia ſpecifica ſpeciei.*

2. *Cum ſpecies non dicat formaliter & actu indiuiduam differentiam, non continet totam eſſentiam indiuidui, nec completè prædicatur.*

3. *Rudiori Minerua expreſſerunt quidam diſtinctionem ſpecificam prædicabilium generis nempe & ſpeciei, per prædicationem completam & incompletam.*

THESIS VI.

GENVS & differentia ſumuntur à tota natura ſpecifica, ſeu tota ejus entitate ſub diuerſis gradibus conſiderata, verùm hoc diſcrimine: genus ſumitur à tota natura rei ſub ratione uniuerſaliori & imperfecta, perfectibili verò per eandem naturam ſub ſpeciali gradu conſideratam: differentia verò à tota natura ut determinata atque perfecta.

App. 1. *Hinc efficitur, tam genus, quam differentiam ſignificare totam ſpeciei naturam, illud quidem ſub ratione contrahibilis, hanc verò ſub ratione contrahentis.*

2. *Genus ſumptum ut totum potentiale longè diuerſum eſt à ſeipſo conſiderato ut parte actuali.*

3. *Cum genus prædicetur de ſpeciebus ut uniuerſale, & ſuperius ab iis abſtractum, de illis prædicatur non ut pars actualis, ſed qua totum potentiale contrahibile per differentias.*

4. *Licet genus prædicari dicatur incompletè de ſpecie ratione rei, quia*

quia tantùm prædicat naturam genericam, quæ est pars speciei: ex parte tamen modi completè potiùs prædicatur, quia eandem communem naturam prædicat, non per modum partis, sed per modum totius, non actualis, sed potentialis & perfectibilis, per gradus differentiales.

5. *Commune illud Philosophorum classicum, modum essendi sequitur modus prædicandi, non intelligendum est de modo essendi absolutè & in se considerato, sed prout à nobis concipitur: nec enim res prædicantur prout sunt ex parte rei, sed prout à nobis hoc vel illo modo cognoscuntur & apprehenduntur.*

6. *Atque hinc est quod differentia cum à nobis concipiatur ad modum qualitatis, non accidentalis quidem, sed essentialis ἐν τῷ ποίῳ τὶ prædicari dicatur.*

THESIS VII.

COMPOSITIO speciei ex genere & differentia, non est Physica & realis, sed Metaphysica ex conceptibus non formalibus in intellectu inhærentibus, sed objectiuis, qui per formales repræsentantur.

App. 1. *Genus & differentia non sunt diuersæ res etiam partiales, sed diuersi conceptus obiectiui eiusdem rei.*

2. *Nec ipsa species ex iis composita est res ab utroque diuersa, sed conceptus quidem totalis, & completus, ex eorum conceptibus compositus.*

3. *Conceptus generis erit potentialis, imperfectus, determinabilis & perfectibilis per conceptum differentiæ: conceptus rursus differentiæ habet modum actus, eum determinantis ac contrahentis.*

4. *Genus ex imperfectiori naturæ gradu desumitur, differentia verò ex perfectiori.*

5. *Cum radix totius potentialitatis sit materia, actualitatis verò forma, ideo in rebus Physicis in quibus compositio Metaphysica ex genere & differentia præsupponit tanquam fundamentum compositionem Physicam ex materia & forma, genus à materia, differentia à forma desumi dicitur.*

THESIS VIII.

CONCEPTVS generis tria connotat sibi intrinseca, esse limitatum, extra rationem differentiarum, imperfectum & per alium essentialiter perfectibilem.

APP. 1. *Hæc omnia dicunt intrinsecam imperfectionem.*

2. *Immensitas diuina, infinita eius perfectio, & purissimus eius actus hæc omnia excludunt à Deo, etiam vt à nobis imperfecto modo intelligitur.*

3. *Non potest dari in Deo conceptus à nobis formatus qui sit vniuocus, imò Deo & creaturæ minùs potest dari aliquid commune vniuocum quam substantiæ & accidenti.*

4. *Possibiles esse plures Deos vel naturæ lumen refragatur.*

5. *Quam inconsideratè quidam Deum inter vniuersalia connumerant.*

6. *Substantia genus generalissimũ abusiuè tantùm de Deo dicitur, nisi intelligatur Analogica & prædicamentali superior: sicuti relatio prædicamentalis falsò de eo prædicatur cum sit accidens, relatio verò in communi formaliter & verissimè.*

7. *Summum genus Categoriæ substantiæ erit substantia completa & finita corruptibili & incorruptibili communis.*

THESIS IX.

Ἐν ὑποκειμένῳ δέ λεγω ὃ ἐν τινι, &c. 2. cap. *lib. Categor.*

APP. 1. *Definiendum est accidens per modum essendi in alio.*

2. *Sicuti sola ita & omnia accidentia sunt ἐν ὑποκειμένῳ.*

3. *Formæ materiales non sunt in materia ὡσπερ ἐν ὑποκειμένῳ, quia, etsi non sint partes ipsius materiæ, sunt tamen partes compositi ex ea constituti.*

4. *Licet habitus, actio transiens & locus sint extra subiectum denominationis, extra tamen subiectum suæ existentiæ subsistere nequeunt.*

5. *Nec odor pomi è subiecto evolat, sed cum subiecti partibus subtilioribus transvolat, nec per se migrat de uno corpore in aliud, sed per accidens, quatenus pars corporis odorati vel adhæresit alteri corpori, vel in halitum resoluitur, cum quo postea ad aliud corpus defertur.*

6. *Radius*

6. *Radius ſolaris, cum nil aliud ſit quam lumen à ſole in aëre, vel alio corpore perſpicuo productum, non erit accidens, ſed effectum ſolis: nec propriè à ſole per aërem in terram motu localis deferri dicitur, ſed metaphoricè, ipſius productione per emanationem ſimplicem.*

THESIS X.

OMNIS contrarietas aut eſt reſpectu ſubjecti in quo duo ſeſe non compatiuntur, aut inter ipſa duo quatenus ſeſe interimunt.

App. 1. *Subſtantia cum nec dicat ordinem ad ſubiectum, nec una immediatè agat in aliam, neutro modo una repugnabit alteri.*

2. *Solùm per accidens habere poteſt contrarium.*

3. *Cum contrariæ qualitates profluant à contrariis formis, nihil obſtat quominus vera contrarietas primò & virtualiter reperiatur in ſubſtantia tanquam prima radice, licet non formaliter.*

4. *Licet formalis contrarietas repugnet eius perfectioni, nihilominus μάλιστα ἴδιον τῆς οὐσίας τὸ τἀναντίον ἢ ἓν ἀριθμῷ ὂν, τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν.*

5. *Hæc ſunt accuratè diſtinguenda, habere contrarium, & recipere contraria ſeu eſſe contrariorum ſubiectum.*

THESIS XI.

PRIMVM quod de quanto concipimus eſt extenſio partium, neceſſe enim eſt ut primum habeat partes extenſas, quam in eas diuidatur, aut per eas menſuretur.

App. 1. *Propria & formalis ratio quantitatis in extenſione partium conſiſtit, quam diuiſibilitas & menſurabilitas tanquam propriæ paſſiones inſequuntur.*

2. *Dum Philoſoph. in Metaph. quantitatem per διαιρετὸν definit, non formalem, ſed radicalem diuiſibilitatem denotat: quæ eſt prorſus idem cum extenſione partium.*

3. *Cum motus propria non aliena extenſione ſit quantus, per ſe quantus erit, & in Categoria quantitatis per ſe reponendus, quicquid contrà alii ſentiant.*

THESIS XII.

POTENTIA est qualitas secundum quam ens aptum est ad agendum vel patiendum.

App. 1. *Impropriè & κατ' ἀνθρωποπαθειὰν de potentia Dei increata dicitur, quæ est δυναμις ἀτιωδὴς: & proprietas essentialis, non realiter, sed ratione, & secundum nostrum concipiendi modum ab essentia distincta.*

2. *Potentia alia est activa, alia passiva.*

3. *Inepta est diuisio potentiæ activæ in connatam & acquisitam, cùm potentia diuinitus infusa aduentitia sit, non tamen acquisita.*

4. *Cum potentiarum diuersitas non aliundè colligatur quam ex diuersitate actuum, hallucinantur qui contendunt unam & eandem esse potentiam diuersorum actuum.*

5. *Etsi non grauatè concederemus ipsum ens quod habet in se potentias rationales esse sua natura liberum, & indifferens tam ad actus quam obiecta contraria.*

6. *Hinc est quod homini à Philosophis duplex libertas attribuatur, una contrarietatis, altera contradictionis.*

7. *Cum Deus sit ens perfectissimum, & simpliciter immutabile, in eum propriè nulla cadit potentia.*

8. *Ac proindè respectu cultus, & religiosæ adorationis, Deus non propriè habet rationem patientis, sed tantùm obiecti circa quod ille cultus citra ullam propriè dictam Dei passionem occupatur.*

9. *Maximo in errore versantur, qui potentiam & potestatem pro una eademque re sumunt, ac confundunt inter se entia quæ sua natura debent esse distincta.*

THESIS XIII.

SACRA SCRIPTVRA testatur DEVM primum fuisse ὀνομαθέτην, & libera sua voluntate quibusdam rebus à se creatis proprias & conuenientes appellationes attribuisse, quas posteà ADAM tacito consensu usurpare cœpit, & pro sua sapientia etiam ac libero arbitrio singulis animantium speciebus propria nomina imposuit. Similiter ante ædificationem turris BABYLONICAE sola HEBRAICA lingua fuit in usu, posteà

posteà verò in pœnam superbiæ, linguæ ædificãtium fuerunt confusæ, & nova linguarum idiomata extitêre.

App. 1. *Probabile est eos quibus mens erat unius vrbis ac regionis societatem inire, post dispersionem inter se conuenisse, & ex communi pacto ac consensu rebus vocabula indidisse, quibus possent animi cogitationes communicare.*

2. *Diuersitas linguarum non ex naturæ ordinatione, sed ex solo libero hominum colloquentium consensu ac instituto originem traxit.*

3. *Cum vocabula non sint eadem apud omnes, non erunt signa naturalia, sed arbitraria ex sola institutione voluntaria, mutuoq; colloquentium consensu & arbitrio vim significandi habentia.*

4 φύσει τῶν ὀνόμα]ων οὐδέν ἐστι, ἡ ἅπαν σημα]ικον, οὐχ ὡς ὀργα]νὸν (scilicet φυσικον) ἀλλὰ κα]ὰ συνθηκὴν.

5. *Et nihilominùs licet vocentur sunt signa arbitraria, Analogiam tamen habent cum rebus signatis, vt patet ex vocibus per ονο-μα]οποιὰν factis.*

6. *Facultas loquendi, & ipsa sonatio seu soni prolatio, est homini naturalis, innata, & ex solo naturæ principio orta: ipsa verò loquela, seu sermo quatenus exprimit animi conceptus per voces articulatas homini non est innatus, sed docendo & discendo acquiritur.*

7. *Linguam Hebraam homini naturalem esse, ita vt si quis ab infantia nullum doceretur sermonem tandem fore, vt sua sponte Hebraice loqui inciperet,* πλασμα]ι ομοιὸν ἐστι.

8. *Nihilo fœliciores sunt, qui verbis, vel prolatis, vel scriptis adscribunt naturalem aliquam vim efficiendi, quæ propriè & per se adscribenda est, vel ipsis rebus quas significant, vel imaginationi, quam homo de quibusdam verbis falsò habet.*

9. *Damnamus totum incantationum genus, vt vanum, superstitiosum & impium: & quæ de illarum vi & efficacia narrantur maligna sunt, quatenus Cacodæmonis interuentu fiunt, & falsa, quatenus reuerà non ita fiunt, licet à superstitioso vulgò facta esse credantur.*

THESIS XIV.

CONTRADICTIO est causa, & veluti mensura reliquarum oppositionum, maximamque habet terminorum repugnantiam & distantiam.

APP. 1. *Formaliter spectata omnium oppositionum prima est, & maxima.*

2. *Licet oppositio privativa, magnam cum ea cognationem habeat, triplex tamen statuimus inter eas discrimen, privativa includit negationem ad certum subjectum determinatam, contradictio verò absolutam: rursus privativa admittit medium non tantùm negativum, sed positivum, contradictio omne medium excludit: & denique privativa requirit certi temporis determinationem, quò habitus per naturam suo subjecto inesse potest, vel debet, contradictio verò minimè.*

THESIS XV.

EXPERIENTIA circa actualem tantùm conjunctionem prædicati cum subjecto versatur, necessitatem verò, vel contingentiam conjunctionis non discernit.

APP. 1. *Cùm principium sit cognitio primò & per se attingens necessitatem connexionis inter principii terminos, nequit principaliter ab experientia causari.*

2. *Licet principia perfectè non cognoscantur nisi præcedente experimento, seu inductione tanquam manuductione & conditione disponente ac juvante intellectum, ut majori cum promptitudine assensum præbeat: præcipua tamen & absoluta assentiendi principiis causa & ratio non est inductio, sed lumen intellectus cum perspicua terminorum penetratione.*

3. *Cùm verus discursus postulet, ut antecedens cognitio sit causa per se, & ratio assentiendi conclusioni, notitia primorum principiorum per inductionem, seu experientiam comparata non erit discursiva, ut passim testatur Philosophus.*

4. *Inductio tùm demum erit verus discursus, quando illius antecedens*

cedens est præcipua causa, & continet rationem motiuam approbandi consequens, non autem quando solùm est conditio adhibita ad tollendam formidinem intellectus in ferendo judicio.

THESIS XVI.

Ὁ διαλεκτικὸς οὐκ ἐστι περὶ γενός τι ὡρισμένον. 11. cap. 1. lib. Soph. ἀλλὰ διαλεκτικὴ ἔστιν μέθοδος ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίσασθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων. 1, cap. 1, lib. Top.

App. 1. *Propositionis Dialecticæ attributum poterit esse quodlibet, siue ens, siue non ens, modo probabilitatem quandam præ se ferat.*

2. *Philosophus quatuor tantùm, tanquam digniora & præcipua inculcauit, quæ inseruiunt ad generales locos constituendos, & ex quibus præsertim eruuntur argumenta Dialectica.*

THESIS XVII.

Σοφιστικὴ ἔστι χρηματιστικὴ ἀπὸ τῆς φαινομένης σοφίας, μὴ οὔσης δέ.

App. 1. *Nihil intactum relinquit Sophista, quo sibi sapientis æstimationem conciliet, ac proinde Protei instar sese in omnes formas vertit, ac modò se Physicum, modò Metaphysicum, modò Dialecticum videri vult.*

2. *Dialectici munus erit non modo à Sophismatis tanquam imbellibus & illegitimis armis abstinere, verùm & Sophistarum vanam gloriam & lucrum affectantium sophismata, ac tela retundere.*

3. *Non immeritò Sophistica Aristotelis in qua fallaciæ & retia Sophistica explicantur, & solvuntur partibus Logicæ connumeranda est.*

THE-

THESES PHYSICÆ.

THESIS I.

ENs qua ens, teſte Philoſopho. 7. Metaphyſ. eſt adæquatum objectum intellectus.

APP. 1. *Ea ſunt magis intelligibilia, magiſque ſecundũ naturam nota, quæ ſunt magis entia.*

2. *Sicuti ordine generationis, intenſionis, ac perfectionis, notiora natura dicuntur: ita etiam quæ magis participant actum entis.*

3. *Non eſt inconueniens eadem iiſdem, & natura priora, & poſteriora eſſe.*

4. *Nec eadem ſimul nobis & natura nota, non ſolùm in Mathematicis, verùm & in Phyſicis.*

5. *Propoſitio Ariſtotelis, ὅ γὰρ ταυτὰ ἡμῖν γνωρίμα καὶ τῇ φυσει, reſtringenda eſt ad materiam ſubjectam, nempè ad magis & minùs uniuerſalia, de quibus ſic determinamus. Primò, ſi ſpectemus diſtinctam cognitionem totius eſſentialis, ſeu actualis magis uniuerſalia ſunt nobis notiora. Secundò, ſi totum uniuerſale & potentiale conſideremus minùs univerſalia ſunt nobis notiora. Tertiò, ſi loquamur de confuſa cognitione intellectus, utrum nempè intellectus rudis, & nondum informatus, priùs percipiat ſpecies & notiones minùs univerſalium, vel magis univerſalium: dicimus, Primò adhibitis iis quæ neceſſaria ſunt*

ria sunt ad perfectam cognitionem sensitivam, & remotis impedimentis, inter universalia species infima priùs & facilius ab intellectu sub statu naturali apprehenditur, & quo quæque sunt minùs universa eò sunt nobis notiora: tùm quia sensibus propiora, & facilius abstrahuntur, tùm etiam quia causæ naturales non impeditæ, concurrentes ad primum actum eliciendum notionem perfectissimæ naturæ producunt. Secundò quoties ad perfectam notitiam in sensu aliquid deest, vel ex parte medii, vel objecti, tunc quæ sunt magis universalia, sunt nobis notiora, & priùs ac facilius cognoscuntur. Tertiò, in perfecto statu intellectus, postquam per impressas rerum species habitum universalia cognoscendi sibi comparauit, si nihil desit ad perfectam cognitionem æquè nobis facilia cognitu sunt magis & minùs universalia.

THESIS II.

IN nullo causarum genere datur progressus in infinitum, sed necesse est tandem peruenire ad aliquam unam primam causam, quam nulla alia in eo genere antecedat.

App. 1. *Materia prima non est Aristotelis commentum, sed primum principium materiale omnium corporum naturalium, ex quo Deus totum hunc mundum visibilem produxit.*

2. *Est substantia non incorporea, sed corporea & corpus.*

3. *Non est inconueniens unum corpus esse principium alterius.*

4. *Manifestam implicat contradictionem, statuere materiam primam corpus materiatum, cum immediatè ex nihilo prima materia sit producta.*

5. *Ex diametro pugnant, nedum cum Sacra Scriptura, verùm & cum recta ratione, ac principiis Philosophicis, qui tuentur primam materiam Deo fuisse coæternam, & non aliquando ab eo creatam.*

6. *Agens æternum non semper sibi requirit patiens coæternum, quod veram & realem passionem ab eo recipiat.*

7. *Agens & patiens propriè dictum non semper, nec per se sunt relata*

relata: sed tum demùm, cum agens extra se agit in aliud, quod veram & realem passionem ab eo recipit.

8. *Deus est agens æternum, quatenus intra se agit, non autem quatenus extra se aliud producit.*

9. *Nullam necessariam σχεσὶν habet ad materiam primam.*

THESIS III.

PHILOSOPHVS passim & sparsim primo enti seu DEO, ascribit infinitam virtutem agendi.

App. 1. *Ac proinde etiam potentiam ex nihilo producendi aliquid, & aliquid in nihilum destruendi.*

2. *Commune Philosophorum classicum, ex nihilo nihil fit, non in peruersum & alienum, sed in proprium & genuinum Philosophorum sensum est trahendum: vt intelligatur verum non simpliciter, sed secundùm quid, nempè partim de substantiis, partim de virtute naturæ quam tanquam Dei famulam agnouerunt, & de virtute causæ secundæ, quæ primæ subordinatur.*

THESIS IV.

PROPTER diuersas causæ considerationes, & diuersos prioritatis modos, causa & prior est & simul cũ causato.

App. 1. *Ad controuersiæ itaque decisionem, hæc ponimus theoremata. Primò, causa absolutè considerata sine relatione ad causatum ordine naturæ est prior causato. Secundò, causa relatè considerata quà causa est simul naturâ respectiuâ cum suo causato. Tertiò, omnis causa ordine cognitionis perfectæ & distinctæ prior est causato, licet ordine congnitionis confusæ sæpè sit eodem posterior. Quartò, omnis causa ordine dignitatis præcedit causatum, si utrumque relatè consideretur, at si absolutè, non semper causa est nobilior causato.*

THESIS V.

LOCALITAS est essentiale idioma solius entis creati, magnamque imperfectionem in locato arguit.

App. 1. *Cum primum ens sit αὐταρκεστάτον propriè esse in loco non dicitur.*

2. *Dogma*

2. *Dogma illud ſcholaſticorum de triplici modo inexiſtendi in loco repletiuè, definitiuè, & circũſcriptiuè, plurimis vitiis ſcatet.*

3. *Cum omnis creatura ſit finita, & certis naturæ limitibus circumſcripta, ubiquitas nulli creaturæ communicari poteſt.*

4. *Limitationes quorundam aſſerentium creaturam poſſe eſſe ubique, non per ſe, ſed per accidens: non modo naturali, ſed ſupernaturali: non proprietate naturæ, ſed vi unionis hypoſtaticæ: nil aliud ſunt quàm latibula grauiſſimorum errorum, & κρυφυγὴ hominum lucem veritatis apertis mentis oculis aſpicere non valentium, aut ſaltem nolentium.*

5. *Quare omnis creatura erit in loco, incorporea quidem modo ſpirituali, ſine extenſione, occupatione, aut repletione alicuius ſpatii, cùm omnis quantitatis extenſiuæ ſit expers: Corporea verò modo corporali, cum extenſione, & repletione certi alicuius ſpatii.*

6. *Locus eſt ſpatium in quo eſt corpus, & extrinſeca circumſcriptio facta à terminis alterius corporis ſeparari & abeſſe ab eo poteſt ſalua manente eius eſſentia.*

THESIS VI.

TEMPVS eſt duratio ſimpliciter finita, & mutabilis entis creati.

App. 1. *An non perſpicuè ab æternitate diſtinguitur? quæ eſt duratio ſimpliciter infinita, immutabilis, & abſoluta entis increati.*

2. *Non immeritò aſſeritur, in tempore ſumus, & quid ſit tempus ignoramus.*

3. *Cum ens rationis ſuam eſſentiam & exiſtentiam habeat imaginariam, conſequenter etiam talem habet durationem.*

4. *Sicuti datur tempus verum & reale, ita & imaginarium.*

THESIS VII.

VNANIMI PHILOSOPHORVM conſenſu, Cœli motus fit ab intelligentia, quæ eſt ſubſtantia immaterialis Cœlo aſſiſtens, liberâ & volũtariâ intellectione mouens.

App. 1. *Motus Cœli non est purè naturalis, sed potiùs voluntarius: nec data est Cœlo forma naturalis ad mouendum vt perficiatur, sed forma voluntariæ intellectionis ad mouendum, vt perficiat hæc nostratia.*

2. *Nihilominùs substãtia Cœli propter figuram quam habet Sphæricam, & quia libera est à contrario, & mutatione, grauitate etiam & lenitate, naturalem quandam inclinationem habet ad motum circularem in genere.*

3. *Licet ad varias species motus circularis indifferens sit substantia Cœli, ac pro voluntate, & intellectione motricis intelligentiæ varios motus circulares habere potest.*

4. *Hinc est quod inferiores orbes, variis & quodammodo oppositis motibus ferantur.*

5. *Nec hinc sequitur intelligentias hasce velut ſxionas quosdam orbibus Cœlestibus, veluti rotis affigi & affligi, cum libera & voluntaria intellectione moueant.*

6. *Quocirca duplicem statuimus connexionem formæ assistentis cum subiecto, unam per appetitum, prælectionem, & ad libitum, vt nauta assistit naui, aut auriga currui: alteram per naturam & propriam conditionem, vt intelligentia Cœlo.*

7. *Connexio intelligentiæ & Cœli, cum immunis sit ab omni violentia seruatur æterna, at in altera connexione, quæ fit ad libitum, mobile per violentiam mouetur, & tantùm dependet ab assistente vt ex fine.*

THESIS VIII.

MVNDVS est compages Cœlestium & sublunarium corporum, quæ summa arte digesta admirablem sui Archetypi referunt pulchritudinem.

App. 1. *Quam certum est unum esse, idque unione ordinis: tam plures esse posse, & quidem alios aliis perfectiores.*

2. *Absolutè verò posse infinitos creari, etsi non sit inhabitatum, est tamen vero simillimum.*

3. *Et tamen in hoc mundo nihil desideratur ad perfectionem, cum essentialem, tum accidentalem: tam ab essentia fluentem, quam adventitiam*

adventitiam, vt patet ex naturarum varietate, & distinctione, & partium ordine.

4. *Etsi novæ species possunt à Deo creari, iis tamen non eget mundus ad eam perfectionem quam in hoc statu exposcit.*

5. *Sive natura, sive ars subinde novas proferet, easdē virtute in suis causis jam continet.*

THESIS IX.

QVICQVID est actu, aut est actus, aut habens actum.

App. 1. *Cùm Cœlum nec sit purus actus, siquidem qualitatem habet & movetur: nec pura potentia, cùm agat actumque habeat perfectum, erit quid conflatum ex potentia & actu, materia nempe, & forma.*

2. *Materia non est data primò & per se à natura ob transmutationem ad generationem, adeò vt ubicunque sit materia, ibi etiam sit generatio & mutatio: sed ad sustinendam quantitatem, propter motum localem, & figuram in substantia.*

3. *Volente Deo non repugnat naturæ corporis Cœlestis posse dissolvi: etsi enim secundum substantiam æternum sit futurum, huic tamen æternitati finem imponere potest is qui æternum esse voluit quando volet.*

4. *Cœli materiam non modò ejusdem rationis esse secundùm speciem, verùm & eandem numero esse cum materia sublunarium, quid est quod dubitemus?*

5. *Cùm forma Cœli, nec sit contraria sublunaribus, nec contrariis affecta qualitatibus, materia sublunarium non est in potentia ad formam Cœli.*

6. *Proprietas materiæ in se spectatæ, est appetitio perfruendæ formæ: quæ si illi plenè satisfaciat mutationem abhorret, sin minùs mutationem appetit.*

THESIS X.

CALOR in his sublunaribus fit per attenuationem in aëre factam motu veloci corporis solidi.

App. 1. *Id quod calorem primò recipit est aër interceptus ceu allisus, qui calefactus corpora ipsi contigua calefacit.*

2. *Motus non est formaliter calefactio, sed causa caloris per accidens & per aliud, distrahendo nempè & attenuando partes aëris, ac raritatem inducendo, quæ præparatio est ad calorem in subjecto recipiendum.*

3. *Causæ caloris sunt soliditas corporis, & velocitas motus.*

4. *Cœlestia non affectu sed effectu, nec formaliter, sed virtute tantùm calida sunt.*

5. *Sol non producit calorem tanquam agens separatum ab aliis orbibus, sed sit hic motus à toto Cœlesti globo, cui inest una vis movendi hunc inferiorem mundum: cujus tamen maxima pars Soli tribuitur, quod sit stellarum maxima & lucidissima, unde densissima, plurimumque materiæ in se continens.*

6. *Aqua quiescens fit calidior, non quod quies sit per se causa caloris, sed quia firmius recipit actionem agentis calefacientis, repercussionem scilicet radiorum Solis.*

7. *Similiter de speculis dicendum, siquidem radii solares, non in momento, sed in tempore calorem producunt, & magis calefaciunt cum diutiùs immorantur in ea parte quam feriunt, ac in eadem reciprocantur, ac geminantur, tunc enim radii anteà dissipati in unum congregantur.*

8. *Aër tempore æstivo flabello motus nos refrigerat, quia aër qui nos ambiebat nostroque contactu calefactus erat, discutitur, eique alius frigidior succedit: sicuti & aqua calida susque deque mota magis refrigeratur, quia calidum vaporem exhalat, & vicini aëris frigiditati patefit.*

9. *Longè alia est ratio caloris in animalibus, siquidem ambulante animali, transeunt spiritus ab internis partibus ad externas, & ex magno spirituum concursu externæ partes incalescunt.*

THESIS XI.

RADII solares in terram projecti, resiliunt à terra refracti, & in aëre duplicãtur ascendẽtes & descendẽtes, ex quorum collisione inter se extenuatur aër, extenuationem autem necessariò sequitur calor.

APP.

App. 1. *Media aëris regio, cùm simplices tantùm habeat radios, non duplicatos, frigida censenda est.*

2. *Ex diuersitate duplicationis radiorum Solis provenit diversitas temporum anni, siquidem Sol sublimior projicit radios in terram perpendiculariter, & ad angulos rectos, adeò vt quilibet angulus reflectatur & reduplicetur in seipsum, idemque fiat radius ascendens & descendens, unde maxima radiorum collisio & aëris attritio, ac proinde etiam vehemens calor: dum verò Sol humilior incedit, non decidunt radii ad perpendiculum, sed ad angulos inæquales acutos & obtusos, & minor est calor.*

3. *Radius ex directo & reflexo compositus magis incalescit, quàm solus directus.*

4. *Lumen seu radius, cùm sit accidens, moveri & reflecti dicitur, non vera reflexione, sed tantùm Metaphorica: antequam enim vis radii in directa projectione exhauriatur, incidit in corpus opacum nempe terram, & longiorem suum progressum compensat, redeundo in se & reflectendo seu duplicando.*

5. *Calor, frigus, & hujusmodi dicuntur qualitates primæ, non simpliciter, sed tantùm inter eas quæ corporibus sublunaribus tanquam propriæ & peculiares conveniunt.*

THESIS XII.

COLOR est qualitas secunda ex primarum temperamento consurgens.

App. 1. *Cùm Cœlum immune sit ab omni mistione, & primis qualitatibus, errant errorem non ferendum, qui Cœlum verè coloratum esse contendunt.*

2. *Cæruleus seu Sapherinus color reuerà Cœlum non imbuit, etsi ludificato aspectu imbuere videatur, propter distantiam objecti visibilis.*

3. *Color in Cœlo tantùm est apparens, lux nempe certa ratione attemperata, nostro visui sese exhibens.*

4. *Cœlum est visibile, non per colorem, sed per lumen.*

5. *Similiter planetis colores attribuuntur, quia propter apparentem opacitatem subjecti aëris, cui eorum lumen est admistum*

hujuſmodi colores habere videntur, quorum diuerſitas provenit ex diuerſitate luminis miſti cum opaco.

6. *Alii ſunt colores veri qui ſunt in corpore opaco & viſum terminante, alii verò apparentes, qui cùm non inſint, ineſſe tamen videntur ob diſtantiam objecti viſibilis.*

THESIS XIII.

ELEMENTA non mouentur à generante, impreſſione occultæ virtutis motricis, nec etiam impulſione, cùm etiam moveri poſſint, aut non præſente, vel etiam corrupto generante, neque per modum ſequelæ.

APP. 1. *Elementa non moventur ab aliquo externo, ſed proximè & per ſe à ſuis formis, ac motorem internum habent.*

2. *Non eſt neceſſe, vt quicquid per ſe movetur conſtet ex parte mouente, & parte mota: ſed ſolùm quæ perfectè, & per ſe à ſe ipſis moventur, cujuſmodi ſunt animata.*

3. *Elementa ab animantibus in hoc diſtinguuntur, quod hæc non ſolùm motus ſui principium activum, verum etiam (vt loquuntur) initiativum in ſe habeant, cùm & à ſe moveantur, & à ſe incipiant moveri: illa verò etſi moventur à ſe, nempe à propriis formis, non tamen à ſe incipiunt moveri, ſed ab externo, generante nempe, aut removente impedimentum.*

4. *Cùm Ariſtoteles negat elementa à ſe ipſis moveri, nil aliud vult, quàm ea non eo modo moveri quo animantia, quæ undecunque, quocunque, & quandocunque volunt ſeipſa movere poſſunt.*

5. *Forma elementorum non movet cum interna reſiſtentia, ſed ita vt reſiſtentia ſolùm ſit externa ratione medii.*

THESIS XIV.

GENERABILITAS & corruptibilitas, ſunt affectiones corporis caduci de eo demonſtrabiles, non per principia indiuiduorum, ſed univerſalium.

APPEND. 1. *Primò & per ſe profluunt ex ſpecierum principiis.*

2. *Non*

2. *Non minùs universalibus quàm singularibus competunt.*

3. *Ad tollendam omnem difficultatem duplicem agnoscimus potentiam, unam originalem & universalem, quæ primò universali competit: alteram proximam & contractam, ac varietati obnoxiam, quæ singularibus competere dicitur.*

4. *Similiter actus vel refertur ad suum principium primum & originale, vt actus communis (gigni) & ita est ipsius universalis: vel refertur ad proximum principium executionis, & hic actus singularis est & singularium proprius.*

THESIS XV.

IDEM compositum animatum habet duos distinctos & sibi quodammodò aduersantes motus naturales, motum nempe progressivum, qui fit ab animâ, & motum elementi prædominantis.

APP. 1. *Duæ saltem erunt distinctæ formæ in animali, quæ horum motuum sint principia activa.*

2. *Nil vetat in eodem composito plures esse formas substantiales sibi invicem subordinatas.*

3. *Non semper fit resolutio usque ad materiam primam in mutatione substantiali animati.*

4. *Hinc est quod animata intereant duplici corruptione, quarum una mors, altera putrefactio dicitur: siquidem per mortem extinguitur calor vitalis, antequam calor temperaturæ seu elementaris, qui debilior est, per putredinem corrumpatur.*

THESIS XVI.

MATERIA inferiorum & sublunarium teste Philosopho, nec actu calida est in se, nec frigida, humida, nec sicca, sed hæc omnia potestate, quæ potestas in actum reducitur per motum, & immobilitatem seu motus carentiam.

APP. 1. *Per continuum Cœli motum inferior hic mundus redditur actu calidus, & per defectum motus actu frigidus.*

2. *Corpora Cœlo ejusque motui viciniora etiam calidiora sunt, remotiora verò frigidiora.*

3. *Sublato* COELI *motu hic inferior mundus non esset calidus,*

calidus, ſed ob priuationem motus, ſeu ob immobilitatem eſſet actu frigidus.

4. *Cùm immobilitas ex Ariſtotele ſit cauſa actualis frigoris, vt & motus caloris, qualitates primæ neceſſariò dependent ab externa cauſa.*

5. *Dicuntur naturales elementis, non quod eorum naturas inſequantur tanquam cauſas primas, ſed tanquam proximas, & quia ſine iis exiſtere nequeunt.*

THESIS XVII.

IN eodem littorum tractu iiſdem horis hîc fluit, illic refluit, Luna eundem verticalem obtinente, ac in oppoſitis ac longè diſſitis littoribus iſto ortum, illo occaſum ſpectante, fluit ac reciprocatur: ſimiliter quantumvis obliquos radios Luna in Oceanum dimittat ſemper alicubi plenus erit affluxus, & quãtumvis rectis incumbat alicubi refluxus erit, nec minùs fluunt ac refluunt maria Luna infra Horizontem deliteſcente, & in interluniis, quam eâdem lucente & plenâ.

App. 1. *Aquæ marinæ tam ſtatâ ratâque varietate fluxus & refluxus, nec motu, nec lumine à Luna ducuntur.*

2. *Cum Lunæ influxus communicatus his inferioribus nullus ſit, niſi per motum aut lumen: minimè iis aſſentimur, qui mare, motum diurnum Lunæ ſequi contendunt.*

3. *Etſi non grauatè cõcederemus magnam eſſe, tùm Solis, tùm Lunæ vim in extenuandis aquis vt intumeſcant, quas intumeſcentes, vbi campo uberiori & aperto fruuntur, in littora excurrere neceſſe eſt: certa etiam procurſus ac recurſus tempora, ſtataſque vices, utrumque ſidus ſuo motu ac lumine moderari, ſed efficientia univerſali, quâcum quæ concurrunt cauſæ particulares magnam æſtus varietatem pariunt, loci ſcilicet anguſtia, littorum coarctatio, ſituſque declivior aut acclivior, Oceani in unam aliquam plagam incumbentis moles, ventorum impetus, & hujus generis alia, quibus fit vt neque omnia maria æſtuent, vt mare Hyrcanum, ſeu Caſpium, neque ubique pari tempore, vehementia aut quantitate.*

THE-

THESIS XVIII.

IRIS est arcus in nube rorida & concava, partiumque dissimilium ex radiorũ Solis oppositi reflexione, vel Lunæ, multiplicem coloris speciem ostentans.

App. 1. *Colores Iridis non sunt veri & naturales, sed tantùm apparentes, habentes speciem colorum, vt meritò συμφυσεὶς, ab Aristotele dicantur.*

2. *Colores hos phantasticos quibus sensus eluditur, cum à solo lumine secundum diuersum modum influxo seu infracto consurgant, & veluti penduli in medio diaphano oberrantes consistant, non firmi stabilesque: veras esse luces, nec à lumine differre tuemur.*

3. *Cùm ad primũ Iridis ambitũ tãquam maximũ acriùs aspectus reflectatur, fit vt in eo videatur color phœniceus, in secundo verò ambitu & minori color viridis, & in tertio denique color purpureus apparet.*

4. *Iridem extitisse ante diluvium non est dubitandum: etsi Deus tunc demum symbolum dederit factæ sponsionis, terram aquis nunquam coopertam iri, nec aquas datas leges transgressuras.*

THESIS XIX.

TONITRVS est ingens aliqua aridæ exhalationis copia quæ comprehenditur in mutatione vaporis refrigerati, quæque concursu nubium exprimitur, ac in expressione, ob attritum & nubium collisionem accenditur, fulmenque vocatur.

App. 1. *Licet ignis seu fulmen sequatur sonitum, priùs tamen videtur fulmen quàm auditur sonus.*

2. *Oculorum sensus multò velocior est & acutior, quàm aurium.*

3. *Illa fulmina sunt periculosiora quæ cum tonitru simul videntur, cùm sint prope.*

4. *Fulminum tria statuuntur genera, alia sunt sicca quæ non adurunt, sed dissipant: alia humida quæ obfuscant: quædam clara mirificæ naturæ subtilia & flammea, quæ mollia facilè penetrant,*

netrant, pervadunt duriora, reluctantia comminuunt, ac illæsa cute & integris ossibus animalia interimunt.

THESIS XX.

VENTVS est exhalatio calida & sicca, vi Solis & terræ in mediam aëris regionem elevata, à nube frigida vehementer deorsum depulsa, ac partim à suâ naturali levitate, partim ab aliis exhalationibus continenter descendentibus ne rectâ deorsum feratur impedita, obliquè cum aëre à se impulso & exagitato, movetur lateraliter è loco unde cœpit moveri in oppositum, ad aërem repurgandum, corporaque animantium recreanda.

APP. 1. *Causa efficiens naturalis ventorum, est cùm frigus mediæ regionis, tum nubes propellentes vapores ascendentes, easque infernè agitantes ne in sublime ferantur.*

2. *Ventorum tranquillitas, aut provenit ex nimio frigore, aut ex nimio æstu.*

3. *Venti propriâ conditione sicci erunt, humidi verò per accidens, ac pro varia loci unde profluunt temperie, tẽperati, aut intemperati sunt.*

THESIS XXI.

EX Philosophi sententia, ratio sensus adminiculo indiget.

App. 1. *Cùm cerebrum sit rationis sedes, cerebro etiam vim sentiendi inesse existimamus.*

2. *Cùm neque objecta ad cerebrum, multò minùs ipsum ad objecta moveri possit, natura nervorum propagines instituit sensionis vi præditas, quibus animus externa sensilia apprehenderet & acceptam ab iis notionem intrò assumeret, inque cerebrum consignaret.*

3. *Duos ad hanc functionem oculos natura concessit, vt uno defuncto alter superstes tam necessario munere fungatur, vtque visio à duobus perspicacior eliciatur, & denique vt rerum distantias coniuncti percipiant quas unus solus non dignoscit.*

THE-

THESIS XXII.

RES aliqua quantumvis prope oculum in obscuro loco sita, nullo modo ab homine cernitur, neque in densissimis tenebris ullum lumen in oculis hominum apparet.

App. 1. *Illorum oculis lux inest, quibus noctu utilior est visio, hominibus verò frustrà inditum esset à natura lumen, cujus noctu nullus usus existeret.*

2. *Ut color à visu dignoscatur necesse est visus organum lucidum esse, non tamen ab insito lumine illustratur, sed ab eodem qui colores vehit, externo lumine oculos subeunte.*

THESIS XXIII.

VISIBILE per se aspectum mouens, vel proprium est, vel commune, & illud vel propriè & per se mouet visum, ut lux, vel lucis tantùm accessione, ut color.

App. 1. *Unius sensus plura possunt esse objecta materialia, etsi ratio formalis unica sit.*

2. *Visibilitas profluit à quopiam innominato quod lumini, colori, cæterisque quæ sub aspectum cadunt commune est.*

3. *Aër lumine actu collustratus est per se visibilis, licet à nobis non conspiciatur ob defectum necessariæ densitatis.*

THESIS XXIV.

PHILOSOPHVS 6. cap. lib. 2. de Anima, asserit sensum circa proprium sensile non posse errare.

App. 1. *Cùm non rarò contingat, ut circa ubi seu locum rei, visus hallucinetur, locus seu ubi inter objecta communia adnumerandus est.*

2. *Aristoteles non omnia communia sensibilia sigillatim enumerat, sed quinque tantùm summa capita ad quæ cætera revocari possunt.*

3 *Sciati non omnia quæ à perspectivis ingeruntur, ita nec pauciora quam posuit Aristoteles statuenda existimamus.*

4. *Motus licet perfectè ab intellectu cognoscatur, imperfectè tamen &*

netrant, pervadunt duriora, reluctantia comminuunt, ac illæsa cute & integris ossibus animalia interimunt.

THESIS XX.

VENTVS est exhalatio calida & sicca, vi Solis & terræ in mediam aëris regionem elevata, à nube frigida vehementer deorsum depulsa, ac partim à suâ naturali levitate, partim ab aliis exhalationibus continenter descendentibus ne rectâ deorsum feratur impedita, obliquè cum aëre à se impulso & exagitato, movetur lateraliter è loco unde cœpit moveri in oppositum, ad aërem repurgandum, corporaque animantium recreanda.

APP. 1. *Causa efficiens naturalis ventorum, est cùm frigus mediæ regionis, tum nubes propellentes vapores ascendentes, easque infernè agitantes ne in sublime ferantur.*

2. *Ventorum tranquillitas, aut provenit ex nimio frigore, aut ex nimio æstu.*

3. *Venti propriâ conditione sicci erunt, humidi verò per accidens, ac pro varia loci unde profluunt temperie, tẽperati, aut intemperati sunt.*

THESIS XXI.

EX Philosophi sententia, ratio sensus adminiculo indiget.

App. 1. *Cùm cerebrum sit rationis sedes, cerebro etiam vim sentiendi inesse existimamus.*

2. *Cùm neque objecta ad cerebrum, multò minùs ipsum ad objecta moveri possit, natura neuorum propagines instituit sensionis vi præditas, quibus animus externa sensilia apprehenderet & acceptam ab iis notionem intrò assumeret, inque cerebrum consignaret.*

3. *Duos ad hanc functionem oculos natura concessit, vt uno defuncto alter superstes tam necessario munere fungatur, vtque visio à duobus perspicacior eliciatur, & denique vt rerum distantias coniuncti percipiant quas unus solus non dignoscit.*

THE-

THESIS XXII.

RES aliqua quantumvis prope oculum in obscuro loco sita, nullo modo ab homine cernitur, neque in densissimis tenebris ullum lumen in oculis hominum apparet.

App. 1. *Illorum oculis lux inest, quibus noctu utilior est visio, hominibus verò frustrà inditum esset à natura lumen, cujus noctu nullus usus existeret.*

2. *Ut color à visu dignoscatur necesse est visus organum lucidum esse, non tamen ab insito lumine illustratur, sed ab eodem qui colores vehit, externo lumine oculos subeunte.*

THESIS XXIII.

VISIBILE per se aspectum mouens, vel proprium est, vel commune, & illud vel propriè & per se mouet visum, ut lux, vel lucis tantùm accessione, ut color.

App. 1. *Unius sensus plura possunt esse objecta materialia, etsi ratio formalis unica sit.*

2. *Visibilitas profluit à quopiam innominato quod lumini, colori, cæterisque quæ sub aspectum cadunt commune est.*

3. *Aer lumine actu collustratus est per se visibilis, licet à nobis non conspiciatur ob defectum necessariæ densitatis.*

THESIS XXIV.

PHILOSOPHVS 6. cap. lib. 2. de Anima, asserit sensum circa proprium sensile non posse errare.

App. 1. *Cùm non raro contingat, vt circa ubi seu locum rei, visus hallucinetur, locus seu ubi inter objecta communia adnumerandus est.*

2. *Aristoteles non omnia communia sensibilia sigillatim enumerat, sed quinque tantùm summa capita ad quæ cætera revocari possunt.*

3 *Sciati non omnia quæ à perspectivis ingeruntur, ita nec pauciora quam posuit Aristoteles statuenda existimamus.*

4. *Motus licet perfectè ab intellectu cognoscatur, imperfectè tamen &*

men & quodammodò materialiter ab externo ſenſu percipitur citra ullam partium inter ſe collationem.

5. *Similiter ſolius mentis opus eſt numerare, & per unitatum incrementa & decrementa numeros augere & minuere, ſenſus tamen externus, confuſam multitudinem percipit, & plura veluti diſcreta, non quatenus unum indiſtinctum faciunt.*

6. *Quies ſenſu percipitur, non quod ipſa peculiari actione ſenſum moveat atque mutet, ſed negativè, quatenus res eodem loco ſemper conſtans firmaque ſubſiſtere cernitur.*

7. *Cùm ſimul motus & temporis ſenſum habeamus, idcirco tempus ſub motu comprehendimus.*

THESIS XXV.

LVMEN quo momento temporis penetrat molle diaphanum, eodem tranſverberat vel duriſsimum, cujuſmodi ſunt corpora cœleſtia.

App. 1. *Incorporeum igitur eſt cui duritiei corporis non obſiſtit.*

2. *Neminem conturbet, quod dicamus lumen moveri ac ferri, cùm potior loquendi forma non habeatur quo lucis naturam manifeſtemus.*

THESIS XXVI.

APTA organi ſeu ſenſorii compoſitio, quam propria functio poſtulat, non ſolùm in figura idonea, ſed etiam in exquiſitâ quâdam primarum ſecundarumque qualitatum συμμετρία, ac moderatione quam, λόγον Philoſophus appellat, conſiſtit.

App. 1. *Cùm excellens & vehemens ſenſile hanc rationem penitus aut ex parte labefactet, fit vt ipſa facultas organo inſita pariter vitietur.*

2. *Iniqua eſt quorundam expoſtulatio redarguentium naturæ authorem pravæ inſtitutionis, cùm ipſa ſenſibilia organum non lædant, ſed tantùm ex accidente cùm nimirùm ad exſuperantiam deflectunt.*

THESIS XXVII.

SENSILIA cõmunia propriâ imagine ſenſorio inuſtâ ſenſum excitant. App.

App. 1. *Species communium sensibilium à specie sensibilis propriireipsâ non distinguitur, & objecta communia veluti appendices sunt propriorum, quæ proprias species sensibus imprimunt, ab iisque aliquid remanet in sensu, quo proprii sensibilis species attemperatur, & commune sensibile verè & per se cognoscitur.*

2. *Hinc facile est inter* SCOTVM *affirmantem, ac* THOMAM *negantem sensibilia communia proprias imagines producere, fœdus constituere: ille enim astruit veras illorum sensibilium formas, hic verò negat à speciebus sensibilium reipsâ distinctas, quorum utrumque rationi, & veritati consonum est.*

THESIS XXVIII.

SPECIES sensilium, nõ tam sunt firmæ qualitates, quàm perennes quædam actiones, & objectorum conatus, quibus continuò potentias ad agendum exstimulant.

App. 1. *Cùm sublato objecto intercidat actio, ipsæ species, quæ nil aliud sunt quam protractæ ac perennatæ actionis affectiones, amoto objecto illicò evanescunt.*

2. *Sensuũ externorũ species non nisi præsentibus etiã sensilibus brevissimo tempore cõservantur, quantũlibet intensæ fuerint: nec sine perenni effectricis causæ impulsu momento temporis subsistere possunt.*

3. *Inter species & firmas qualitates hoc interest, quod hæ firmum existendi modum accipiant, illæ verò à continuâ emanatione ac causæ præsentiâ dependent.*

4. *Et nihilominus sæpè internus sensus tam efficaciter sibi quædam affingit vt ea externo sensu percipere videatur.*

5. *Objecta duobus modis in externos sensus agunt, uno intentionaliter, dum propriam imaginem in organo obsignant, altero realiter, cùm violentâ motione organum excitant: prior actio sublato objecto pariter occidit, hæc verò causâ etiam cessante aliquandiu perseverat.*

THESIS XXIX.

AGENTIA naturalia necessitate quâdam naturæ in proprias actiones feruntur, nec sublatis impedimentis possunt non agere in omne illud spatium, quod iis natura concesserit, quodque Sphæram activitatis nuncupant.

App. 1. *Unaquæque pars corporis colorati agit in omnem partem medii circumfusi, quousque tandem positis à naturâ finibus terminetur.*

2. *Hinc est quod corpora colore infecta, quo maiora sunt eo longiùs actionem protendunt: & grandiora corpora è remotiori loco cernuntur quàm minora.*

3. *Ex thesi etiam efficitur plurimarum rerum imagines in idem centrum glacialis humoris unà convenire posse.*

4. *Unus oculus simul plura obiecta videt, non tamen omnia aquè perspicuè & explanatè, cùm unum solum punctum distinctè videatur in quod amborum luminum acies concurrunt.*

5. *Plures formæ unius rei etsi in multis oculis numero sint distinctæ, habent tamen eandem vim repræsentandi propter exactam similitudinem, quam à rebus à quibus profectæ sunt acceperunt.*

6. *Et hinc est quod sensus internus duabus vel pluribus speciebus excitatus unius tantùm rei notionem effingat.*

THESIS XXX.

ANIMA rationalis cùm omnia corporea cognoscat, nullam corporis naturam habeat necesse est: nec per organum corporeum proprias functiones obit, cùm determinata illius organi natura aliorum cognitionem non admitteret.

App. 1. *Anima rationalis est incorporea non modo κατ' οὐσίαν, sed etiam κατ' ἐνέργειαν.*

2. *τὸ ἀσωμάτον, excludit non tantùm quæ sunt corporea in categoria quantitatis, verùm etiam quæcunque qualitates.*

3. *Quan-*

3. *Quandoquidem nihil operatur niſi ens actu, anima hæc rationalis ὑποστατὶς quædam ſit oportet.*

THESIS XXXI.

INTELLECTIO actio immanens eſt, non tranſiens.

App. 1. *Anima intellectiva eſt forma corporis informans, non ſuperveniens: nec ſolùm operationem, ſed etiam eſſentiam homini tribuens.*

2. *Cùm intellectio hæc, quæ eſt actus ſecundus, multiplicetur pro numero individuorum, actum primum, ſeu animam multiplicari neceſſe eſt.*

3. *Abſurdum eſt quorundam delirium aſſerentium unam eſſe numero animam humanam in tota ſpecie.*

THESIS XXXII.

OMNIS forma ὑποστατὶς non ſolùm totius, ſed etiam cujuſlibet partis eſt perfectio.

App. 1. *Cùm anima ſubſtantia ſimplex ſit & individua, in qualibet parte integram eſſe pronunciamus.*

2. *Licet non inficiamur præcipuam eius ſedem, & quaſi radicem eſſe in corde, à quo non modò ſecundum facultates, ſed etiam ſecundùm eſſentiam per totum corpus, & quamlibet eius partem diffundi aſſerimus.*

3. *Omnis difficultas commodæ huius diſtinctionis adminiculo tollitur, ſi dicamus ſingulas animæ facultates originaliter, ſeu reſpectu originis ſingulis corporis partibus ineſſe, non autem ſubiectivè, ſeu reſpectu ſubiecti.*

THE-

THESES ETHICÆ.

THESIS I.

Ἡ πολιτικὴ, ἡ ἣ φρόνησις, ἡ αὐτὴ μὲν ἕξις, cap. 8. lib. 6. Eth. Idemque est utriusque subjectum.

APP. 1. *Sicuti prudentiæ, ita civilis Philosophiæ adæquatum subjectum, sunt actiones humanæ ex hominis libertate prodeuntes.*

2. *Voluntas, consultatio, præelectio, habitus virtutum moralium, sunt subjecti principia: humanæ perturbationes materia interna, res contingentes humanæ libertati subjectæ externa, finis denique cujus gratiâ summum bonum.*

3. *Rejectâ trimembri divisione Philosophiæ moralis, bimembrem ac Aristoteli familiarem divisionem, in partem communem, & propriam approbamus.*

4. *Libri Oeconomici sunt tantùm appendices librorum de Republicâ.*

5. *In parte communi, seu libris de moribus non bonum singulorum hominum, sed præsertim bonum publicum explicatur.*

6. *Recta institutio viri probi primò universè ac quo ad fundamenta probitatis, pertinet ad libros de Moribus: proximè tamen & publicè debet fieri per leges rectè conditas, & particulares institutiones in rectè formatâ Republicâ.*

7. *Cùm nihilominus leges, nil aliud sint nisi præcepta justitiæ & fœtus prudentiæ, ratio principalis earum condendarum elicitur ex li-*

ex libris moralium: licet nonnulla propria prænoscenda pro condendis legibus pertineant ad libros de Republicâ.

8. Pars hæc communis, cùm virtute & eminentiâ alteram includat & dirigat, absolutè præferenda est.

THESIS II.

Καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν, ὃ πάντα ἐφίεται 1. cap. 1. lib. Eth.

App. 1. *Causa efficiens appetibilitatis non alia est, quam bonitas, quæ enti inest, aut saltem inesse videtur.*

2. *Nullum bonum quâ bonum aversantur homines, sed quatenus induit rationem mali: nec malum appetunt, sed quatenus induit rationem boni.*

3. *Obiectum voluntatis ex naturâ rei, est id quod suâ naturâ & absolutè bonum est: ex parte autem nostri id quod nobis videtur bonum.*

4. *Hinc obiectum voluntatis ex naturâ rei certum & definitum est, ex parte autem nostri indefinitum & incertum, quia varium & inconstans est iudicium hominis, & eatenus solùm definitum quâtenus servat umbram & imaginem boni.*

5. *Ideo Tyranni dicuntur agere non quod volunt, sed quod iis mentecaptis videtur, ac stimulo perciti violento, unde impotentissimos esse concludimus.*

THESIS III.

VIs appetens, cùm ex se sit cæca, nihil persequeretur vel vitaret, nisi excitaretur ac dirigeretur à facultate cognoscente: sicuti inane esset judicium boni & mali, nisi ei juncta esset facultas illa assequendi vel vitandi.

App. 1. *Facultas cognoscens & appetens re & subiecto idem sunt, solâ ratione distinguuntur.*

2. *Facultati cognoscenti respondet obiectum sub ratione veri & falsi, appetenti verò optabile sub ratione boni vel mali, iucundi vel molesti.*

3. *Perturbationes, quum sint motiones iudicium sequentes, proximè ad facultatem appetendi pertinent, non ad cognoscentem nisi vt ad excitantem & dirigentem.*

4. *Nec menti insunt, nisi ut in origine, ac principio dirigente, & ratione objecti quod ad eam partem pertinet.*

THESIS IV.

Τιμὴ ἔστι σημεῖον δόξης ἐνεργητικῆς. 1. Rethoric.

App. 1. *Sicuti honor est bonum publicum, teste Philosopho 8. Moralium, paratum in gratiam virtutis: ita is solus qui est rectus judex, actionum virtutis, & in cujus manu positæ sunt illæ res quæ sunt congruens signum probitatis, ejusmodi signum congruenter præbere potest.*

2. *Vir improbus, nec honorari potest, quia caret virtute, nec honorare, quia depravatum habet judicium.*

3. *Honor pro signo exposcit honorem pro re significata, cùm in honorante, tum in honorato, licet vario modo.*

4. *Honor publicus, præsertim & primò censendus est honor.*

5. *Et nihilominus viri probi ducentes vitam privatam honore digni sunt.*

6. *Honor, cùm sit civile præmium proximè & proprietate quadam ad civiles virtutes refertur, virtutibus verò mentis potiori quodam & eminentiori modo competit.*

7. *Honor in individuo non est positus, sed latitudine præditus quæ in gradus distribuitur, ex parte meritorum, ex parte conditionis eorum quibus tribuitur, & denique ex parte eorum quæ tribuuntur.*

8. *Sicuti pueris non ob rem, sed spem, ita nec defunctis ob res præsentes, sed ob præteritas eorum virtutes munerumque functiones competit honor quidem latè sumptus, seu fama in voce & ore hominum posita.*

THESIS V.

FORMATVR vir probus per universam virtutem Moralem, constituitur verò princeps & civis probus per universam justitiam, quæ sola ratione ab universa virtute secernitur.

App. 1. *Cùm vir probus & civis probus eadem formentur virtute, eadem est eorum princeps forma, essentia & conditio.*

2. *Distin-*

2. *Distinguuntur solùm per propria officia, ac nonnulla quæ propriàs conditiones consequuntur.*

3. *In ea Republica quæ pro hominum facultate recta est, vir probus & civis probus idem sunt, ac utriusque eadem est virtus.*

4. *In depravata civili administratione differt vir probus à cive probo, ac distincta est utriusque virtus.*

5. *Ea justitia, quâ præditus est bonus Civis in depravatâ Republicâ absolutè est injustitia, & justitia viri absolutè probi in huiusmodi Republicâ iniustitia est.*

6. *Datur iustitia quæ sit ſiniustitia, & quædam Iniustitia quæ sit iustitia.*

THESIS VI.

Ἡ προαίρεσις ἐστι βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν.

App. 1. *Prælectio (sicuti & consultatio) in re dubia, ut in propria materia versatur.*

2. *Prælectio rei perspicuæ προαίρεσις dicitur, quia facultate, eminentiâ, & virtute id includit quod consultatio ei præbere possit, videlicet approbationem partis.*

3. *Ratione modi & formæ potiùs est electio, ratione autem eminentiæ & virtutis est prælectio.*

4. *Licet consultatio & prælectio propriè sumptæ, nec naturæ nec separatis mentibus cõveniunt: si tamen sumantur pro eminentiâ & virtute, ita seorsim ab omni imperfectione competunt separatis mentibus, naturæ verò quatenus eas supponit, ab iisque dirigitur.*

THESIS VII.

VOLVNTAS est principium actionum humanarum, liberè & cum delectatione objectum sibi ab intellectu sub ratione boni monstratum appetens, in eoque quâ bonum acquiescens.

App. 1. *Distinguitur ab intellectu, cùm respectu obiecti, hic enim eminens quâ verum, illa quâ bonum, & sibi conveniens respicit: tum respectu actus, siquidem mens obiectum suum intra se recipit eoque apprehenso, & sibi unito conquiescit: vo-*

luntas

luntas verò obiectum suum extra se positum persequitur, eique se applicare, & coniungere nititur.

2. *Mens quieti, voluntas motui similior est.*

3. *Si res in quam vt bonum suum fertur voluntas ipsâ animâ sit præstantior, respectu huius obiecti voluntas mente nobilior est: absolutè verò & ἁπλως, mens vt ordine est prior, sic dignitate est potior.*

4. *Cùm proprium voluntatis ac essentiale sit liberè ferri in suum obiectum, vis ipsius naturam prorsus evertit.*

5. *Qui voluntatem cogi posse asserunt, oppositum in opposito statuunt.*

THESIS VIII.

MOENIA urbis non Rempublicam, sed sedem quandam Reipublicæ externam constituunt, Cives sunt proxima Reipublicæ materia, Magistratuum ordo & conditio ac præcipuè constitutio primi magistratus est forma Reipubicæ, leges denique sunt anima & spiritus ex quarum usu vita Reipub. consurgit.

App. 1. *Si leges rectè fuerint institutæ & formatæ, ex iis vita Reipub. optima prodit, deterrima verò si secus se habuerint.*

2. *Legis duplex est forma, una popularis & externa vt quod sit publica præceptio prodiens ex voluntate & decreto principis: altera principalis & interna, vt quod sit consentanea mandatis* DEI, *æmuletur naturæ ordines, & ad id bonum dirigat quod verè & suâ naturâ bonum est.*

3. *Leges primâ formâ præditæ æquivocè tantùm leges dicuntur, quæ verò alterâ, verè & suâ naturâ leges sunt, etiamsi non adsit approbatio, & mandatum principis, ex vtrâque autem absolutissima lex consurgit.*

4. *Omnis re verâ & suâ naturâ lex est recta, bona & iusta,* ὁ πανλα τὰ νόμιμα ἐστι δίκαια.

5. *Sicuti & leges absolutæ internâ legis formâ constitutæ, eædem sunt apud omnes, si non absolutè saltem secundum Analogiam, cùm semper servetur congruens, & recta legis ratio.*

6. *Et*

6. *Et nihilominus veræ & absolutæ leges ex varietate temporum & occasionum mutari extrinsecus possunt, quatenus servatâ analogiâ congruenter rebus variis aptantur; at non intrinsecus in attinentibus ad rectam rationem.*

7. *Conformatio legum cum occasionum varietate revera non mutatio, sed conservatio earum est, non tamen fieri debet nisi urgente necessitate, longa præcedente consultatione, & à primo Reipublicæ Magistratu.*

THESES ASTRONOMICÆ.

THESIS I.

COMMVNI Astronomorum calculo, utrobiq; terrâ mariq, sub eodem parallelo quindecim graduũ differentia unius horæ anticipationẽ & retardationem in ortu & occasu siderum, ac eclipsium apparitione parit, & sub eodem meridiano 62. millium passuum iter, poli elevationem uno gradu variat.

APP. 1. *Siderum ortus & occasus, polorum elevatio & depressio, eclipsium observationes, sive terrâ, sive mari fiant, eandem ubique Analogiam servare deprehenduntur.*

2. *Hinc efficitur terram & aquam continuatis ubique extremitatibus in unum globum coïre, & sibi invicem quaquaversum*

mutuo amplexu cedere & excipi, licet unita moles non tam Sphæra, quâm σφαιρωειδὴς sit.

3. *Cùm pondera terræ, ita & aquæ ex eodem loco è sublimi demissa liberè ubique per eandem rectam lineam ad centrum gravitatis descendant, idem erit utriusque gravitatis centrum.*

4. *Ergo etiam magnitudinis, cùm in Sphæris idem sit centrum gravitatis & magnitudinis: vt demonstrat Cõmandinus propositione 16. libro de centro gravitatis solidorum.*

5. *Nihilominus, cùm terra gravior sit, locum centro propiorem occupabit.*

6. *Sicuti sub omni aquâ necesse est terram subesse, non contra, ita Analogia profunditatis & gravitatis sufficienter evincit, multò minus esse aquæ quam terræ.*

7. *Quàm ridiculè quidam aquas censent mole terra maiores ad universi centrum subsidere, ac in his terram innatare, non tamen fluitare, propter vastitatem, & quam his tribuit opifex stabilitatem.*

8. *Quin & vero simillimum est maiorem terræ partem ab aquis liberam esse, vt patet ex mensurâ terrarum exploratarum deductâ ex totius globi terræ & aquæ superficie.*

THESIS II.

IGNIS & aëris circumductus non à propriâ intelligentiâ, sed cœlestis conversionis tractu, & impulsu fit: nec is quidem uniformis est, sed mixtus, hîc concitatior, illic remissior.

APP. 1. *Nec est violentus motus, nec naturalis: sed præter naturam, & à causâ perenni cohærẽte, nempe conversione cœlesti perpetuus.*

2. *Plotini sententia tam igni quàm Cœlo motum circularem naturâ insitum esse asserẽtis, triplici ex causâ providentiæ divinæ, naturæ, & necessitatis, sapit pigmenta Platonicorum, quibus in fronte plus inest venustatis, quàm in recessu veritatis.*

THE-

THESIS III.

VISIO noſtra corporeo addicta & exercita organo, actionem certis quibuſdam circumſtantiarum quaſi terminis definitam, ac circumſcriptam à natura obtinuit: quos ultra citrave ſeſe expedire, aut officio defungi nequit.

App. 1. *Multis modis eam hallucinari neceſſe eſt, ex ſua intemperie, vel medii, obiecti quantitate vel ſitu, aliarumque circumſtantiarum vitio.*

2. *Hinc parallaxium & refractionum varietas, hinc diſpares plerumque Aſtronomorum in ſiderum magnitudine & motu obſervandis diſſentientes ſententiæ, vt niſi vivaciore mentis operâ ad Geometricarum demonſtrationum trutinam expendantur, certi quicquam de iis vix ſtatui queat.*

THESIS IV.

VTRVMQVE ſidus Veneris & Mercurii in periodicâ excentrici revolutione eſt Solis ἰσοδρομὸν συνοδρομὸν, ὁμοδρομὸν, & eadem omnium trium eſt medii motus linea.

App. 1. *Neutrum unquam à Sole ultra epicicli ſui magnitudinem digreditur, Venus 28. gradibus, Mercurius 29. ac nunc orientales mane Solem antecedunt, nunc occidentales veſpere Solem ſequuntur.*

2. *Errant qui Venerem alternis annis Solem anteire, & ſubſequi volunt.*

3. *Licet tam Mercurius quàm Venus Solis πρωδρομὸς & ἑπομενὸς ſubinde ſit, hæc tamen ſola Luciferi & Heſperi nomina obtinuit: quia magnitudine extra omnia alia ſidera eſt, & tantæ claritatis vt unius huius ſtellæ radiis umbræ reddãtur.*

THESIS V.

SIDERA quælibet in omni Cœli plaga, ut æquali ſemper à terris radio abſunt, ita æqualia videntur.

App. 1. *Discrimen illud variatæ distantiæ, & magnitudinis, in eccentricis & epicyclis, non nisi exactorum organorum usu, & ope sensuum innotescit.*

2. *Sol reliquaque sidera in ortu & occasu videntur maiora, non ex distantiæ inæqualitate, quæ insensilis est: sed crassiorum vaporum interjectu, qui frequentius juxta Horizontem quàm Meridianum exurgunt, & exceptos Astrorum radios majori sub angulo refractos ad visum transmittunt.*

3. *Interjectus vapor ad intuentis visum non continuatur. sed duplici superficie hinc indè terminatur, unâ intuenti, alterâ sideribus obversâ: ita ut horum radii è Cœlo variore transmissi, primùm in aërem crassiorem, tùm in vaporem aëre constipatiorem, denique in aërem vapore tenuiorem, & visui proximum incurrant.*

4. *Triplex hic fit radiorum refractio, una in extimâ aëris supremi, altera in extimâ vaporum, tertia in extimâ proximi aëris superficie: quarum duæ priores stellarum speciem & magnitudines contrahunt, tertia diffundit.*

5. *Quin & sudo Cœlo maiorum siderum diametri, distantiæ & altitudines, versus Horizontem augentur propter obliquiorem radiorum in aëre iuxtà Horizontem refractionem, & quod maiori sub angulo incurrant.*

THESIS VI.

CAUSAE effectrices tot motuum cœlestium, tantâ periodi, polorum, axium, & inæqualis conversionis varietate differentium, adeòque dissimilium effectuum in singulis ex motu, & lumine, ejusdem rationis ac similis naturæ esse non possunt.

App. 1. *Diversi orbes eorumque sidera inter se specie differunt, ac sua cuique orbium forma est, quæ dat esse & moveri, sive insit, sive adsit.*

2. *Cùmque contigui, non continui sint orbes cœlestes, non erunt partes eiusdem homogenei.*

3. *Diversorum orbium & siderum inter se ratio & natura eadem est genere,*

est genere, non Physico, sed Metaphysico, & transnaturali.

4. *Cœlo nihilominus est suus actus & potentia, non transmutationis ad esse, & non esse, quæ est soboles privationis contradictoriæ, sed receptivitatis ad sustinendam formam, ex quibus quæ sit compositio, sufficit ad generis Categorici constitutionem.*

5. *Universum Cœlum est quintum corpus simplex non specie, sed genere unum.*

THESIS VII.

COmetam a. d. 1577. tribus fere mensibus cõspicuam, ex uniformi ejus motu tardiore Lunari, ex ductu maximi circuli quem proprio motu designavit, ex Parallaxi minori Lunari, & interdum vix sensili: plerique magni nominis Astronomi in ætheris regione Lunâ superiori constitisse evidenti & firmâ demonstratione collegerunt.

App. 1. *Non solùm sacræ literæ, quæ testantur Solem pugnante* IOSVA *tribus horis constitisse, ad optionem* EZECHIAE *15. gradibus regressum esse, stellam novam Magis apparuisse: sed etiam novorum siderum, & Cometarum procreatio, inordinatæ in Cœlo mutationes eius mutabilitatem arguunt.*

2. *Cur non profiteri licebit Cœlum cœlestiaque corpora, nec eius perfectionis esse, quin mutari, nec eius divinitatis, quin sicuti vestimentum veterascere possunt, quanquam nec eo modo, nec tam brevi periodô, quâ caduca & sublunaria?*

THESIS VIII.

ERuditissimi Astronomi profitentur sicut demonstravit COPERNICVS variari maximas Solis declinationes, & augeri ad 23. gradus 52. minuta, minui ad 23. gradus 28. minuta, ut accrementi & decrementi differentia sit 24. minutorum.

App. 1. *Statuendum Solem, aut non eandem semper Eclipticam describere, aut si una eademque dicatur, latitudinem quandam obtinere: sed quæ tantula sit, ut in sensum non incurrat: nec altitudinum aut umbrarum meridianarum, aut amplitudinis ortivæ, aut occiduæ ullam sensilem mutationem pariat.*

2. *Quocirca pro ſimplici lineâ uſurpari poteſt, à quâ Sol ſecundùm iudicium ſenſus non exorbitet.*

THESIS IX.

APVD CALDAEOS & ÆGYPTIOS, qui judicia Aſtrorum exercuerunt, invaluit ea fati opinio quæ ex corporum cœleſtium influxu, & efficientia inferiora hæc omnia connexâ quâdam conſequentium cauſarum ſerie ſic neceſſariò affici & peragi ſtatuit, ut ne humanas quidem actiones hujus fatalis neceſſitatis exortes eſſe voluerint.

App. 1. *Hinc ſublata omni è rebus ſublunaribus contingentiâ, & conſilii humani libertate, ſuperſtitio illa prædictionum Aſtrologicarum nimia credulitate animos hominum occupavit.*

2. *Damnamus huiuſmodi Aſtrologos tanquam profeſſione infames, quos legum conſtitutionibus damnatos ſupplicio affici æquum eſt, niſi ſobriè ſapiant, & artis, quæ ſolis coniecturis innixa eſt, iuſtis finibus ſeſe contineant.*

THESIS X.

DEMONSTRANT optici radium umbroſum, cum radio luminoſo à quo procedit in directum extendi, unamq; efficere rectam lineam in eodem plano poſitam.

App. 1. *Axis umbræ terrenæ & radii Solis ad centrum pertinens, in eodem eiuſdem maximi circuli plano conſtituuntur, & umbræ mucro eundem cum Sole circulum maximum percurrit, ſed in oppoſitam, Solique ſemper adverſam Cœli plagam incidit.*

2. *Hinc eſt quod Luna quæ Solis lumine illuſtratur tantùm deficiat, dum per Cœli regionem Soli adverſam decurrens in terræ umbram incurrit.*

3. *Deficere Luna nequit, niſi noctu, & ab iis percipitur quibus ſummotus ex Horizonte Sol noctem induxit.*

4. *Nihil impedit, quominùs per refractiones Horizontales, quibus in vapido aere radii reflexi Solem ſub finitore conſtitutum, tanquam adhuc emineret videndum exhibere poſſunt, in occaſu deficere poſſit, utroque luminari ſupra Horizontem exiſtente.*

THE-

THESIS XI.

CORPVS Lunare opacum, ſolidum, & impervium terſâ & exquiſitè levi ſuperficie extimâ illatos Solis radios ad nos reflectit, ut ſpeculum convexum.

App. 1. *Qui καλὰ μεθοχὴν, non κατ' ἀναλάσιν, Lunam lumine Solari imbui volunt, ipſi ſibi ſomnia confingunt.*

2. *Licet à circulo plano tantum luminis ſolium reflectatur quanta eſt interior linea dimetiens: à globo tamen ſeu Sphæra plus reflectitur.*

3. *Dato Lunam Solis idolum & imaginem, ut ſpeculum convexum referre, in tantâ tamen Solis à Lunâ, & Lunæ à nobis diſtantia non videtur.*

4. *Longè alia ratio eſt idoli Solaris & luminis reflexi, illud enim remotior diſtantia ita minuit ut non percipiatur, hoc cùm ex lucis natura, cujus ſpecies eſt, ſit ſui diffuſivum latiùs effunditur, quanquam in maiori intervallo languidius & dilutiùs diffundatur.*

THESIS XII.

SICVTI zonas ex primarum qualitatum, Climata ex maximorum dierum aliorumque φαινομένων varietate: ſic ex ſimilium φαινομένων communione & parium mutatione, Geographi tres ſitus differentias in terræ globo annotarunt Periœcων, Antœcων & Antipodum.

APPEND. 1. *Qui ſub eodem Meridiano & parallelo poſiti, parallelis Diametro diſtant, Periœci ſunt: qui ſub oppoſitis parallelis, ac eiuſdem Meridiani cândem ſemiſſe non integrâ degunt Antœci ſeu ἀντοικοι: qui denique ejuſdem Meridiani Diametro opponuntur Antipodes, ſeu ἀντίχθονες appellantur.*

2. *Non intereſt qui primi cenſeantur quorum comparatione reliqui ſic nominentur, niſi cum Cleomede nos ἰσοσκίους ἀνταίους abſolutè dicamus, quorum reſpectu reliqui Periœci, Antœci & Antipodes nominentur.*

3. *Singulis horum ſituum differentiis pleraque ſunt ſimilia, ac etiam diſſimilia, licet Antipodibus prater cõmunem finitorem, & æqualem latitudinem, ſed ad diverſas Cæli plagas inclinatam, paria etiam dierum & noctium incrementa, cætera omnia diſſimilia ſint.*

4. *Quæ de Periœcis, Antœcis, & Antipodibus traduntur ad Sphæram obliquam propriè pertinent, ſiquidem Sphæra recta ſub Æquatore Antœcos nullos admittit, & Antipodes eoſdem cum Periœcis habet: ſimiliter in parallela ſub polis Sphæra, Periœci nulli, Antœci iidem qui Antipodes ſunt.*

ΤΕΛΟΣ.